

§.9. II. Ius Conductoris rerum, ejusque heredis.

1. Ut mercedem solvat finito usu, nisi mos aut conventio tempus fixerit. Post moram usuræ debentur.
2. Ut re utatur ceu bonus paterf. præstetq; dolum & culpam levem, v. g. si vicinus ipsi inimicus rei noceat.

Pacto etiam periculum, v.g. si vaccæ ferreæ locatae.

§.10. Merces remittitur pro ratâ, (non verò interesse præstatur) si absq; culpa & negligentia Conductoris huc spectante quid accidat.

1. Ob casum circa ipsam rem, quo uti prohibetur. Huc etiam refertur incursum hostium, pestis, spectra.

It. si vicinus aut Dominus ædificando, reficiendo, fecerint, ne conductor uti possit.

Aliquam tamen parvam particulam incommodi ferre tenetur.

2. Ob casum in fructibus, ante perceptionem, v.g. magna sterilitate, incurso fluminis, hostium, ultra modum.

Ubi judex boni viri æstimatu determinabit, quantum remittendum. Si nihil fructuum, nihil mercedis.

Non autem requiritur læsio ultra dimidium, quia læsio hic est casualis, & pensio datur non nisi propter usum.

§.11. Non remittitur

1. Si vitium ex ipsâ re oriatur, nisi omnes omnino fructus absumantur. (modicum).

2. Si damnum fit modicum: quia retinet etiam lucrum im-

3. Si fertilitas unius anni alterius sterilitatem suppleat.

4. Si pacto periculum omne in se suscepit, etia insi prorsus insolitum quid accidat.

3. Ius habet ad usum rei tam naturalem (fructus percipere) quam civilem (tertio locare.)

Non autem habet Dominium, aliudve jus in re, licet in longum tempus loetur.

Hinc Onus re, etiam ratione fructuum, imposita non fert, quicquid impenderit huc, dominus restituet, etiam sumptus metatorum, was bei Einquartirung aufgehet.